














No. 3562.









ORATIO FUNEBRIS, DE VITA ET MORTE

NOBILISSIMI VIRI, D. IOHANNIS SCHAUGARDII de Gundeſtrop, Illuſtriſsimi Danorum Regis FRIDERICI II. Conſiliarij prudentiſsimi. Qui Anni 80. die 18. Iulij, in vera filij Dei inuocatione, vitam cum morte commutauit.

Autore

IOHANNE ERASMIO HAFNIANO.



Cicero in paradox.

Mors terribilis eſt his, quorum cum vita omnia extinguuntur, non his, quorum laus emori non poteſt.

HAFNIAE
Ex Officina Typographica Andreæ Gutterwitzij.
Anno ſalutis 1581.



GENEROSISSMIS,

ATQVE EXIMIÆ VIRTVTIS ET summæ ſpei pueris, FRIDERICO SCHAVGARDIO ET GEORGIO SCHAVGARDIO: viri ampliſsimi D. IOHANNIS SCHAVGARDII de Gundeſtrop, (feliciſsimæ memoriæ) olim præſidis Arcis Helſingburgenſis in Schania ſitæ, filijs, S.

MAgna me beneuolentia & propenſiſsima voluntate ſemper benignè complectebatur parens veſter, Pueri Ingenui, & maiorum imaginibus præcellentiſsimi. Annus enim iam agitur decimus quartus, quo ille Secretariatus officio in Cancellaria Danica fungebatur. quo etiam tempore, cum inter pueros Symphoniacos Illuſtriſsimi & Clementiſsimi noſtri Regis FRIDERICI II. verſarer, me primùm in Clientum ſuorum numerum aſciuit, & patrocino ſuo dignum iudicauit. Sed interea temporis, vrgentibus neceſsitatibus, & me forte inuoluto difficultatum labyrinthis, poſtea facilis ad eum, D. & patronum meum, tanquam alterum Apollinem, aditus mihi pateſiebat. Studia deniq; mea excitauit, & omni-

bus rebus cumulatiſſimè auxit. Verum cum polliceri mihi non queam, vt vel minimam beneficiorum in me collatorum partem remetiar, vel parem gratiam rependam: hoc ſtudium noſtrum cartaceum, quod mihi fatorum (proh dolor) legibus, & grata mentis recordatione, ex improuiſo impoſitum eſt, arripui: & iuſta quædem ferialia Mœcenati meo & patri veſtro cariſſimo, ipſiuſq; honorabiliſſimis cineribus & fauillis, dicere conſtitui. Cum tamen lachrymas in hac rerum acerbitate, profundere magis competeret: quàm Encomion aliquid attingere. Vobis autem Nobiliſſimi Pueri, hunc qualemcunq; laborem inſcribo, & virtutum veſtrarum tholo hæc parentis veſtri propria ornamenta ſuſpendo & dedico. Quæ his paruis pagellis quaſi in tranſcurſu continentur. Vt ſicut imaginis paternæ, quam facie, habitu & ſtatura corporis refertis: Ita maiorum veſtrorū virtutum animis æmuli ſitis. & vt hoc ſtudio meo, animi grati ſignificationem & obſeruantiam erga patrem veſtrum, apud vos teſtatam in omnem æternitatem relinquerem. Quod ſtudium noſtrum vt benignè P. G. accipiatis, etiam atq; etiam oro. Valete. Hafniæ ex Muſognaphæo meo, 30. Septemb: Anni 81.

Veſtræ Generoſ:
obſeruandiſſ:

IOHAN: ERAS: HAF:

ORATIO
DE
VITA ET OBITV D. IOHANNIS SCHAVGARDII.



VM Deo optimo maximo visum sit, ex huius vitæ miserijs, ad æternæ vitæ consuetudinem nuper euocare virum genere & virtute nobilem Dn: Iohannem Schaugardium, Patronum & Mecœnatem meum: de vita & obitu eius aliquid dicere constitui. Etsi enim id mihi quidem acerbum sit: tamen pietas iubet, vt eius memoriam mihi & alijs renouem: & qualis & quantus vir fuerit, apud alios, quo ad potero, ostendam.

Quod si autem tantum eloquentiæ ad hunc virum celebrandum afferre possem, quantum doloris ex morte eius sustineo: efficerem profectò, vt intelligerent omnes, summas in eo viro virtutes fuisse, & studium eius celebrandi mihi non defuisse. Iam verò & dolor me perturbat, qui tanto patrono orbatus sum, & ingenium, (quod quàm sit exiguum sentio) non satis suffragatur, nec dicendi facultas & copia par tantæ rei mihi sup-

petit. Vnde & subuereor, ne pietas mea ab iniquis censoribus temeritatis nomine reprehendatur. Malo me tamen temeritatis nomine reprehendi, quàm pietatis officiolum hoc qualecunq; erga patronum in me desiderari.

Vtinam verò viuenti potius Schaugardio & ex morbo restituto gratulari coràm licuisset: quàm mortuo iam hoc triste & lugubre clientis officium præstare. Vtinam mihi, patrono meo ægrotante, & de vita periclitante, somnium illud Alexandri Magni somniare licuisset: qui vt est apud Ciceronem, cum Ptolemæus familiaris eius telo venenato in prælio ictus esset, eoq; vulnere summo cum dolore moreretur: Alexander ei assidens somno est consopitus. Tum secundum quietem visus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & simul dicere, quo illa loco nasceretur: (neq; is longè aberat ab eo loco) eius autem esse vim tantam, vt Ptolemœum facilè sanaret. Cùm Alexander experrectus narrasset amicis somnium, emissise qui illam radiculam quærerent. Qua inuenta, & Ptolemæus sanatus dicitur. Si mihi, inquam, tale somnium somniare licuisset, imò si quid votis & precibus profici potuisset: viueret adhuc Schaugardius. Sed quoniam aliter superis visum est, quod possumus officij ipsi præstemus, & de tanti viri vita, quantum possumus, non quantum debemus, dicamus.

Ortus

Ortus eſt igitur Schaugardius noſter ex Cimbricæ nobilitatis gente. Patrem habuit ſplendore generis & virtute ſpectabilem Georgium Schaugardium de Schaugard, Matrem verò fœminam omnibus virtutibus honeſta & nobili matrona dignis ornatam, D. Annam Flemming, D. Hermanni de Knudſtrop filiam. Hanc autem ætatis ſuæ quarto amiſit. Sed pater eius diutius ſuperſtes fuit; qui vixit ad annum Domini 57. vſq;.

His igitur parentibus natus eſt Schaugardius. Hinc generoſæ mentis ſemina traxit. Multum enim intereſt ad ingenium, quibus quis parentibus naſcatur. Nam vt poëta ait:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum virtus,
Nec imbellem progenerant Aquilæ columbam.

Et

Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſuæ.

Etſi autem præclarum & eximium decus eſt: & plurimum ad ingenij & virtutis excellentiam faciat, in honeſta & nobili familia naſci: & ſemina virtutum à maioribus accepta habere: tamen hoc non dum ſatis eſt. Sicut enim ſemina optima in terram optimam coniecta, niſi ea benè & rectè coletur: aut pereunt, aut degene-

rant & spem agricolæ frustantur. Ita semina virtutum in animis generosis, nisi recta institutione excolantur, rarò ad frugem perueniunt. Institutio enim animum per se generosum reddit generosiorem dum & ingenium exacuit, & semina virtutum confirmat. Duplò enim acutius vident, & perspicaciores sunt alijs, homines docti et benè instituti. Vnde & Græci dixerunt διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ γράμματα μαθόντες. *Et eleganter à Durero pictore Norico, et homine docto, dictum est, & à Philippo Melanthone versibus expressum:*

Vt nulla è speculis rudibus resplendet imago,
Ni sint artificis ritè polita manu
Ingenij sic vsus erit, non vllus acuti,
Doctrinæ si non erudiatur ope.

Deinde non tantum acumen ingenij adiuuat doctrina vera: Sed etiam vitia si quæ sint, extirpare conatur: & virtutem rursum animis inserere; aut semina virtutum præsentia augere & confirmare. Vnde & ab Horatio dictum est.

Doctrina sed vim promouet insitam.

Et omnibus Rerumpubl. conditoribus & legum latoribus et sapientibus viris ferè omnibus, prima et maxima de recta iuuentutis institutione cura fuisse videtur.

Quod

Quod cum prudens pater intelligeret; de filio ſuo rectè inſtituendo maturè cogitauit, eumq́, ſex tantum annos natum, Viburgum ad fratrem ſuum M. Andream Schaugardum miſit, eiuſq́ fidei eum commendauit, vt is eum liberaliter in pietate et bonis artibus ibi inſtituendum curaret. Cum igitur & ingenio feliciſsimo, artiumq́ omnium capaci puer Schaugardius præditus eſſet, & patruus magna diligentia & fide curam eius ageret; breui magnos progreſſus fecit, et elementa et rudimenta doctrinæ et pietatis celeriter arripuit, latineq́ loquendi & ſcribendi facultatem mediocrem ſibi, artium dicendi cognitione, et bonorum autorum lectione et imitatione comparauit. Quod præcipuè in ſcholis puerilibus agendum et quærendum eſt.

Cum igitur pater à fratre et præceptore pueri, de profectu eius certior factus eſset; eumq́ præclarè tyrocinio perfunctum intellexiſſet; de eo peregrè ablegando conſilium cæpit. Exiſtimauit enim non tantum curſum ſtudiorum in Academijs & ſcholis maioribus ei abſoluendum eſſe: ſed etiam è re eius eſſe, vt linguas peregrinas, germanicam præſertim, diſceret: & peregrinando varios hominum mores cognoſceret. Nam eruditionis ſolidioris non eſt nullus, vt quidam perperam exiſtimant, ad vitam priuatam & Rempublicam benè

gerendam fructus & vsus. Si enim qualiacunq; initia doctrinæ vtilia esse existimantur, & experientia id etiam comprobat; quantò magis solida & perfecta eruditio vtilis erit?

Linguæ autem Germanicæ cognitio, propter commercia cum Germanis, quæ hîc propter vicinitatem quotidiana, publica & priuata sunt, hominibus nostris, præsertim ijs, qui in Republica versaturi sunt, est omnino necessaria.

Deinde peregrinatio & morum peregrinorum inspectio & cognitio plurimum ad prudentiam homini politico in primis necessariam parandam, facit. Vnde & Homerus hoc nomine & argumento Vlyssem suum, vt virum prudentem celebrat:

Quod captæ post tempora Troiæ.
Multorum mores hominum vidisset & vrbes.

Vnde & veteres omnes legum latores Lycurgus, Solon & alij: & omnes omnino sapientiæ & prudentiæ studiosi, multum apud eas gentes, quæ ob sapientiam celebres erant, peregrinati esse leguntur. Et Plato in legibus cum νομοφύλακας seu legum custodes nocturnos ex nobilissima ciuitatis suæ parte: & eorum qui ætate, doctrina, moribus & consuetudine alijs omnibus præstarent, numero eligit & constituit: in id sanctius colle-

gium

gium cooptare vult omnes eos, qui feliciter peregrinati essent. Eos autem feliciter peregrinatos ait, qui peregrè cum optimis & sapientissimis sint versati: quiq; ex peregrinorum morum exploratione & optimorum virorū sermonibus & moribus, facti sapientiores & meliores: vbi in patriam redierint, declararent, quid in alijs ciuitatibus commodiùs animaduerterint. Vt si in patrijs legibus id desideretur, illorum consilio emendari queat. Nam sine hac, inquit, inspectione & inuestigatione, haud quaquam perfectè stat ciuitas: neq; etiam, si malè huiusmodi inspectiones fuerint institutæ

Exploratores igitur, inquit Plato et lex, & spectatores alios, si qui ex ciuibus maiori cum ocio, & aliorum mores & negocia inspicere velint, peregrè proficisci nulla lege prohibeantur. Ea enim ciuitas quæ morum et bonorum et malorum imperita est, & quæ cum alijs non consuescit: nunquam satis mansueta et perfecta esse potest. Neq; verò leges sanctè obseruare solo vel legum imperio, vel vsu & consuetudine, nisi accesserit cognitio et prudentia. Sunt enim in quauis hominum turba & multitudine, semper homines quidam diuini, licet pauci, quorum consuetudo magnifacienda est. Qui non magis in benè constitutis ciuitatibus, quàm alijs nascuntur. Horum igitur virorum vestigia & mari & terra perse-

persequenda et inuestiganda sunt ab eo, qui à benè instituta ciuitate egressus, peregrè proficiscitur, vt ex eorum consuetudine et sermone, et leges et mores meliores discantur. Hæc Plato.

Cum igitur pater filium suum non ad vitam priuatam & vmbratilem institui vellet: sed ad lucem et negotia publica: et in primis, vt aliquando in aula cum laude & fructu Reipublicæ versari posset: peregrè eum à se in Germaniam ablegare constituit. Misit igitur eum Noribergam vrbem Germaniæ optimè moratam et prudentiæ nomine celebrem, vbi annos quatuor Schaugardius noster substitit, & cum optimis versatus magnam eruditionis, prudentiæ & morum bonorum accessionem fecit.

Atq; hîc, duo liberali ingenio & pio iuuene digna, præstitit Iohannes noster. Nam & eo temporis spaciolo in ista prudentissima ciuitate, iuuenis adhuc (quæ ætas parum ad eiusmodi attenta esse solet) multa, quæ sibi & patriæ suæ profutura viderentur, obseruauit, & memori mente reposuit.

Deinde in ista peregrinationis licentia, & magnæ & populosæ vrbis occasionibus & exemplis minime se vllo modo corrumpi passus est, vt vel mores vel opiniones suos contaminaret, vt minus castus, sobrius & pius

in pa-

in patriam rediret. Cum contrà multis bonis aliàs ingenijs incautis, & præsertim malè domi institutis, & temerè sine certo consilio peregrinantibus accidat: vt quo magis quoq; diutius peregrinentur, eò redeant domum magis corrupti. Vnde idem Plato in eadem de peregrinationibus lege, hoc addit: Ne quis intra annum quadragesimum ætatis peregrinetur. Putabat enim sapiens philosophus ciues suos ante id tempus ætatis propter imbecillitatem ætatis & iudicij: & parum ad mores, ingenia, consilia, instituta hominum obseruanda idoneos esse: & facilè moribus & opinionibus peregrinis corrumpi, infici & contaminari. Vnde & ipsi & patria eorum benè instituta plus detrimenti caperet, quàm emolumenti. Sed contra hoc periculum Schaugardius noster inuictus perstitit. Nec naturam generosam quam à parentibus hauserat, nec mores & opiniones, quas domi in schola à patre, patruo & præceptore imbiberat: cum cœlo mutauit aut exuit & abiecit. Sed mordicus pietatis, sobrietatis, castitatis, humanitatis integritatis & candoris præcepta & propositum retinuit.

Cum igitur annos quatuór in ea vrbe egisset: & iam alias etiam vrbes, & gentes inuisere constituisset: præter spem & expectationem suam ab Illustrissimo

Principe & Rege Daniæ &c. laudatißimæ memoriæ, Christiano tertio, literis Noribergam mißis, in patriam reuocatus est: & quod linguæ Germanicæ admodum peritus esset, cooptatus est primum in Cancellariam Germanicam: vbi magna cum dexteritate & industria annum vnum transegit, postea in Cancellariam Danicam, vbi annos nouem vixit, toto videlicet tempore, quo Rex christianißimus Christianus tertius superstes fuit. cui annos decem diligenter & fideliter seruiuit.

Cum autem mortuo Christiano, filius eius Fridericus eius nominis Secundus, qui nunc rerum potitur: & verè pater patriæ est, succeßisset: eiq́ industria, fides, integritas singularis Schaugardij perspecta & explorata esset: Schaugardium sibi Secretarium summum seu supplicum libellorum Magistrum magno omnium applausu creauit. Quo munere annos totos quindecim, belli Suetici præsertim tempore, ita functus est: vt & fidem suam Regi suo probarit: & omnium hominum & ordinum beneuolentiam humanitate & morum suauitate sibi conciliarit: nihilq́ magis in votis habuerit, quàm vt omnium preces & causas apud Clementißimum principem iuuare & promouere potuerit.

Tandem verò negotiorum & molestiarum aulicarum pertæsus, cum ætate ingrauescente animum ad matrimonium & vitam quietiorem appulisset: Anno Domini 74. veniam à Rege Illustrissimo petit. Qui quanquam eum propter diuturnam consuetudinem, fidem, integritatem, industriam ægrè dimisit: tamen vt commodis eius consuleret, petenti veniam benignè dedit: sed ita vt paulò pòst amplissimam ei arcis Helsingburgensis, in Scania è regione Helsingoræ (quam nunc Cronenburgam vocant) sitæ præfecturam tradiderit: & in consiliorum suorum numerum & ordinem seu Senatum regni cooptarit. Quæ summa ferè est in hoc Regno dignitas, qua Iohannes ad honorum fastigium iam merito suo & principis sui fauore prouectus est. In quo munere quæ fuerit eius in sententijs dicendis, prudentia, grauitas & constantia: Quæ in iudicijs sapientia, æquitas, integritas, religio, paucis à me hoc tempore dici non potest. Ipse ordo & dignitas ad quam non patet nisi optimo cuiq; sapientissimo, integerrimo & optimè de regno & Republica merito, aditus: de viri virtutibus omnibus testis esse potest: & collegæ eius amplissimi. Mihi, vt ille de Carthagine dicebat, tacere hîc præstat, quàm pauca, nec pro rei dignitate loqui.

Sed vt ordinem temporis ſequar, Schaugardius eodem anno 74. quo ab aula dimiſſus eſt, cum aliquandiu antea de coniugio cogitaſſet, die dominico, qui feſtum à tribus Regibus dictum proximè conſequitur, nuptias celebrauit: & in matrimonium duxit virginem nobilem, caſtam & piam Annam Parſsberg, Verneri Parſsberg, Equitis aurati & conſiliarij Regij, felicis memoriæ, filiam, omnibus corporis & animi dotibus ornatiſsimam, in qua ſumma venuſtas & morum ſuauitas cum pari pudicitia, probitate & pietate coniuncta eſt. Intellexit enim Schaugardius matrimonium diuinitus inſtitutum eſſe ad ſobolem Deo, Eccleſiæ & Reipubl: honeſtè procreandam: & ad communes vitæ miſerias faciliùs & æquiori animo ferendas magnum adferre adiumentum: præſertim ſi vitæ ſocia bona & idonea contingat. Quare cum precibus eam ſubinde à Deo petiiſſet, tandem etiam moribus ſuis aptiſsimam Dei beneficio nactus eſt.

Quod cum vidiſſet & Deo ſummas egit gratias, & cum ſumma eſſet inter eòs morum & animorum ſimilitudo: magnaq; vxoris erga maritum indulgentia & reuerentia: ita etiam is viciſsim cum vxore vixit, vt & rara aut nulla inter illos inciderit offenſa, & illa iam marito mortuo ſuperſtes, ſibi tamen vix viuere videtur.

deatur. Vtq; domus & familia Schaugardij schola quædam caritatis, castitatis, pietatis fuerit. Ex coniugio liberos quatuor, duos masculos, duas fœminas suscepit, eosq; in pietate & timore Domini educandos & instituendos curauit. Qui ad huc parenti superstites sunt. Domesticis autem suis omnibus, & cæteris sibi subiectis quanquam comitate & consuetudine perquam humanum se præstaret: hoc tamen institutum quadam veluti grauitate temperabat, vt & mansuetudinem colerent: & grauitatem in eo venerarentur.

Sed iam præcipua vitæ Schaugardij momenta ordine ferè attigimus: nunc breuiter de virtutibus, quæ in eo per totam vitam præcipuè eluxernit, dicemus.

In primis igitur singularis in eo erat Mansuetudo, qua non facilè læsus commouebatur: nec commotus iræ diu tenax erat. Cumq; natura mansuetus esset: studio etiam & meditatione naturam iuuabat. Meminit enim præceptorum diuinorum: Irascimini & nolite peccare: Item Sol ne occidat super iracundiam vestram. Norat hominis quidem esse irasci, iracundiæ autem finem facere, hominis esse benè instituti & in primis christiani. Quare de Schaugardio dici potest, quod Cicero pro M. Marcello de Cæsare ait: Animum vincere, iracundiam cohibere, quæ semper est inimica consilio,

 victo-

victoriam temperare, aduersarium non modo iacentem extollere, sed etiam pristinam eius dignitatem amplificare, hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed Deo simillimum iudico.

Comitas etiam in eo insignis fuit. Natura enim sermo eius suauis & gratissimus erat. Et verè vt Homerus ait: τοῦ γὰρ ἀπὸ στόματος γλυκίων μέλιτος ῥέεν αὐδή. Sermone itaq; eos, cum quibus ipsi consuetudo vlla erat, facilè demulcebat & in amorem sui pellexit. De quo non minus quàm de Tito Vespasiano dici potest, quòd nullum è conspectu & colloquio suo tristem dimiserit.

Liberalitas in eo non minor fuit, qua egenis non solum petentibus & opem eius implorantibus, sed etiam non petentibus subuenire & opem ferre solebat. Nec tamen opes suas temerè effundebat, sed ex ijs rectè dispensare pro facultatum modo, causa, loco, tempore promptus fuit. His enim perfecta liberalitas maximè commendatur.

Inter omnes autem virtutes maximè in eo conconspicua erat pietas in Deum, quæ aliarum virtutum radix & basis est. quæ in veri Dei cognitione, eiusq; cultu & obedientia consistit. sine qua nulla virtus nomen virtutis tueri potest: nec vlla humana consilia aut studia felicia esse possunt, & exitus hominum ex hac

caduca

caduca & momentanea vita omnium est miserrimus & tristißimus. Quod cum homo benè institutus facilè intelligeret, Deum ex animo timebat, eiq; sedulò vitam suam probare conabatur , & ab eo totus pendebat, eius fidei & tutelæ se totum suaq; omnia permisit. humana præsidia omnia vana & fallacia ducebat. vnde & illud Symbolum perpetuò in ore habebat: Deus refugium meum, adiutor & protector meus.

Hanc autem pietatem suam non in pectore tantum & ore habuit, sed multis & perpetuis pietatis exercitijs testatam fecit. Non enim in templis solum & publicis Ecclesiæ congreßibus doctrinam de Deo & redemptore nostro Iesu Christo, summa attentione & animi deuotione aßiduè audiebat: & cum tota Ecclesia preces suas coniunxit: sed domi etiam quotidiè bonas horas lectioni sacrorum librorum, & pijs precibus tribuebat. Eam enim solam veram doctrinam, æternam & immotam esse de essentia & voluntate Dei statuebat, quæ in verbo Dei & libris Propheticis & Apostolicis comprehensa esset. Eamq; sibi in omnibus consilijs & actionibus normam: & in omnibus periculis & rebus aduersis sacram ancoram esse ducebat. Quare fidei suæ augendæ & confirmandæ causa, quotidiè vt dixi, sacros libros inspiciebat & euoluebat: & pias preces cum lectione coniungebat:

gebat:

gebat: quibus se diuinitus docori & confirmari, regi & gubernari petebat. vt à Dauide cum alibi, tum Psalmo 119. didicerat.

Nec intra parietes tantum hæc pietas eius constitit: sed latiùs se etiam diffudit. Schaugardius enim cum videret pietatem & religionem sine neruis & præsidijs, adeoq; ministris diu saluam & incolumem consistere non posse: non solum consilijs publicis scholas & Ecclesias, & eos qui in scholis & Ecclesijs docent: præsertim eos, qui in hac Inclyta Academia Regia (cuius ipse fato quodam Conseruator etiam fuit) & bonas artes omnes tradunt, & sacram scripturam interpretantur: autoritate, consilio & sententia sua, sicubi opus erat, publicè defendebat & iuuabat, sed etiam priuatim erga Ecclesias munificentiam singularem exercuit: & docentibus & discentibus, sicubi necesse erat, de suo largiri & opem ferre promptißimè solebat. Cuius rei & ego testis esse possum. Nam studia mea multis modis iuuit & me omni ratione prouexit, multisq; etiam beneficijs affecit, quæ nulla vnquam apud me delebit obliuio. quem nimis maturè desideraui & quotidiè desidero.

His igitur virtutibus tota ferè vita Schaugardij ornata fuit. Sed vt quis tandem exitus eius fuerit, & quæ vitæ eius quasi catastrophe, tandem exponamus.

Cum

Cum anno superiori, nempe 80. ex comitijs Ottoniensibus domum reuertisset: in valetudinis infirmitatem incidit, quæ indies ingrauescebat magis magisq́. Ex quo factum est, vt viribus tandem destitutus, die ☿. ante Iohannis, hoc est 22. Iunij decumbere coactus sit. Die Martis, qui proximè secutus est, cum intelligeret primam esse morbi medicinam, reconciliationem cum Deo, pastorem ad se accersit, ei peccata confitetur, & veniam delictorum à Deo petit: simulq́ deuotè & reuerenter sacram cœnam percipit, qua & se ad gratias Christo pro suo erga se & Ecclesiam redemptionis & saluationis beneficio agendas excitat: & fidem suam de remissione peccatorum propter Christum, & gratia Dei erga se confirmat & munit. vt Deo reconciliatus, in vtrumq́ paratus & animo præsenti sit, siue viuat, siue moriatur. Deinde vt pietatis aliquod specimen edat, pauperibus Helsingoræ & Helsingburgi, pecunias non paucas destribuendas curat.

Ex eo deinde tempore, patienter & æquo animo morbum ferens, decubuit, euentum, qui Deo placeret, exspectans. precibus piorum publicè in Ecclesia Deo commendari voluit. libenter consolationes & admonitiones ex verbo Dei audiebat. subinde precabatur, oculis & manibus in cœlum sublatis, ac his plærumq́ verbis

 vtebatur.

vtebatur. Deus qui in cœlo es, me propter Iesum Christum iuua. multus ei sermo de Deo fuit, sæpe Deo gratias egit, & patientiam suam Iobi verbis testabatur: Si bona suscepimus de manu Domini: mala quare non sustineamus, sit nomen Domini benedictum. Et cum vehementer ei latus dextrum doleret: ago, inquit, Deo gratias. quod si vnum latus affligit: tamen alteri parcit. Sæpenumero de mundi & rerum humanarum inconstantia & vanitate verba fecit. In primis etiam subinde ebrietatem & potationes vsitatas execrabatur. Quibus se grauiter olim inuitum conflictatum & oppressum esse conquerebatur: atq; inde magnam morbi partem se contraxisse. Cumq; se, morbum suum & molestias suas, vxoris fide, aßiduitate & sedulitate magnopere indigere & leuari videret, de matrimonij etiam vtilitate & neceßitate concionabatur: & priuatim pro tam felici matrimonio, quod Deus ipsi conciliarat, Deo gratias egit: & pro vxore & liberis sæpe precabatur. vtebatur etiam interea temporis medici opera & medicina.

Die Lunæ ante diem Mariæ Magdalenæ proximo, hoc est, die 18. Iulij cum intelligeret mortem in foribus esse, hora sexta vespertina, denuo sacra cœna cum gratiarum actione vsus est.


Cumq;

Cumq; admoneretur, vt in fide & fiducia filij Dei Domini sui Iesu Christi constanter permaneret: verbis Iobi respondit: Etiamsi Dominus occiderit me: tamen sperabo in eum. Cumq; fauces ei aridas iam potu rigare vellent, recusauit: seq; iam postremum & optimum potum hîc percepisse affirmauit.


Et cum iam expiraturus esset, sublatis manibus, Commendo, inquit, Deo patri, filio & spiritui sancto animam meam: vxorem autem & liberos orphanos & mæstissimos Dei & Regiæ Maiestatis tutelæ & defensioni. Et paulò pòst paucis & leuibus editis suspirijs, circiter horam octauam vespertinam, placidè admodum & suauiter in Domino obdormiuit.

Ita exitus, vitæ similis fuit. Vt enim piè & placidè vixit Schaugardius: ita piè & placidè obijt: & non solum alijs exemplum benè viuendi, sed etiam liberis suis virtutum suarum monumentum, præclaram & honestam nominis sui famam, qua nullum est patrimonium preciosius, reliquit.

D I X I.


3562.




3562.